NONNULLA
DE GRAVIDI STATUS AFFECTIONIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

HONORIBUS IURIBUSQUE

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ET LEGITIME IMPETRANDIS

DIE VIII. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PETRUS WORBERTZ

BORUSSO-RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

M. KALISCH, MED. ET CHIR. DR.
E. WEBER, MED. ET CHIR. DR.
J. KOPPEL, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELEBERRIMO

ERNEST. DAN. BARTELS,

MED. ET CHIR. DOCTORI MED. PROF. P. O. INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI REGI A CONSILIIS MED. INTIMIS COLLEGII MEDICO-TECHNICI PRIMARIO MEMBRO ORD. LEONIS AUREI HASSIACI EQUITI PLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI.

NEC NON.

AVUNCULO

J. J. BERSCHEL

RERUM DIVINARUM MINISTRO
INCLYTO.

PIA GRATAQUE

MENTE HAS LITERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Quo magis sensim sensimque scientia medica augeatur, quo magis in dies singulae eiusdem disciplinae novis inventis et experientiis locupletentur, eo difficilius etiam horum omnium redditur studium et cognitio, et tempus academicis studiis destinatum vix sufficit, ut immensam harum rerum copiam primis labris degustemus, ne dicam, ut in earum penetremus interiora. Quid igitur mirum, si tiro in medicina, omnibus suis intentis viribus, ut pro sua parte omnia disceret, quae ab eo iure poscantur, priusquam munus curandi, in periti manibus aeque salubre atque in imperiti periculosum, ei tradatur, si is dico in summis versatur animi angustiis, quum repente discipuli cum magistri partibus mutare, quum quae vix didicerit iamiam docere, quum e lectore statim scriptor evadere debeat. Ipse quoque his, et quidem maximis, corripior angustiis. Quid autem iuvat anxietas, ubi necessitas urget? Nil igitur re-

stat, quam ut, quantum potuero, manus subeam, et, si facultas deest docendi, me studio saltem didicisse, si periclitandi deerat tempus, me certe occasionem observandi haud neglexisse probare conabor. Frequentissima autem observationes instituendi occasio mihi in disciplina contigit obstetricia.

Nonnulla ideo ex hac afferre mihi liceat, quibus, etsi fortasse haud multum novi praebeant, attamen Tuam L. B. haud defuturam esse indulgentiam spero.

Si, ut plerumque fieri solet, in graviditatis notione definienda id tantum dicitur: eum esse statum, in quo organismus femineus versetur, dum productum efficacis coitus contineat, necdum eius excussionem perfecerit; haec definitio nec sufficiens nec vera est. Non enim sufficit, quia rationis mentio non fit, quam organismus femineus ad illud habet productum; nec vera, quia illam graviditatis nomen minime merentem conditionem non excludit, in qua organismus femineus, ovo mortuo, illud coitus efficacis productum quidem secum fert, sed tantum ut corpus alienum, quocum in nullo organico est connexu. Uti excepto universo, unico absoluto organismo, omnia alia nobis nota extrinsecus materiam promunt, ita etiam ovum. Natura ovi externa, circumdans et alens, est organismus maternus, qui ei substantias ad alendum et evolvendum advehit.

Sufficiens igitur graviditatis definitio haec mihi esse videtur: Graviditas ille activus feminei organismi est status, in quo ille cum coitus efficacis producto in eo versatur connexu, ut ei omnia ad eius evolutionem

necessaria elementa adducat. Haud in quovis statu vero femineus organismus facultate gaudet, eiusmodi cum ovo connexum ineundi, aut iam praesentem continuandi. Multa phaenomenorum graviditatem comitantium probant, magnas ea durante in toto femineo organismo fieri mutationes.

Hae autem mutationes, quae ipsam graviditatis constituunt naturam, omnes in actione nervosi systematis mutata habent causam. Mutatam nervosi systematis actionem omnium in graviditate praesentium mutationum esse causam, iam inde colligi posset, quod graviditatis momentum, coitus scilicet efficax, tam perspicuam fortemque vim in nervosum systema exserat, quippe quod non modo voluptas in hac functione percepta, sed etiam hoc probat, quod omnia conceptionis signa nervosam prae se ferant in indolem. Extra omne autem dubium veritas nostrae de mutationum gravidi muliebris organismi status causa assertionis per sequentem ponitur observationem.

Uti cerebrum functionibus animi ita cerebellum medulla spinalis, nervus sympathicus et plexus abdominales functionibus reproductivis praesunt. Generatio est processus actionis reproductivae, cui igitur partes systematis nervosi modo dictae praesunt, et simul graviditati, ut conditioni ad generationem necessariae.

Quare omnes per graviditatem in femineo organismo effectae mutationes e mutata actione cerebelli, medullae spinalis, nervi sympathici et plexuum abdominalium exeunt.

Una gravissimarum et clarissimarum harum mutationum est reproductivitas aucta, quae multis serius contemplandis phaenomenis se manifestat.

Frustraneum igitur videri posset conamen, monendi, hanc reproductivitatem auctam actione mutata nervosi systematis partium modo dictarum effici; suffecisse videatur in hanc ipsam reproductivitatem auctam animum advertere; sed haud omnia in graviditate occurrentia phaenomena aucta reproductivitate possunt explicari, non explicari potest partus intrantis causa, et graviditatis ad plures morbos concomitantes ratio, unde necessarium fit, ut in his rebus explicandis actionis nervosi systematis mutatae habeamus rationem.

Ill. Stein iun., qui omnes in femineo organismo durante graviditate fientes mutationes in reproductivitate ponit mutata, partum intrantem ita explicare studet, ut reproductiva vis in uterum transsiliat. Quae sententia autem, quam sagacissima sit, attamen introitum partus haud explicare posse mihi videtur. Nunquam enim irritabilitatis phaenomena; qualia uteri sine dubio sunt contractiones, reproductivitate aucta videmus procreari. Necessarium potius est ad irritabilis partis contractionem, ut ei nervo stimulus adducatur. Quamobrem partus intrantis causam in eo iure maiore ponere mihi videor, quod cum durante graviditate actio medullae spinalis, nervi symphatici, et plexuum abdominalium aequaliter aucta fuit, in intrante

partu actio horum plexuum, qraeprimis plexus hypogastrici augetur.

Haec sententia multis probatur rebus. Non tantum enim ex hoc dicto plexu nervos accipiunt, irritabilitatem in partu auctam videmus, quod frequens inter alia ad alvum deponendam probat impetus, dum contra in illis musculis, qui a medulla spinali nervos accipiunt, in partu intrante irritabilitas multo suppressa est, priusquam scilicet et illi vehementissima uteri irritatione in consensum trahuntur. Haud minus notabile et meam probans sententiam est illud, quod simul ac actio partus efficiendi in spasmum transfertur, in aliis etiam organis, a plexu hypogastrico nervos accipientibus, saepe phaenomena apparent spastica. Sufficiat hoc loco, tenesmi et stranguriae facere mentionem. In diutius durante et graviore reddito spasmo partus illa primum in sympathiam trahuntur organa, quae a plexibus abdominalibus accipiunt nervos v. g. ventriculus, uti vomitus tam saepe observandus probat.

Praeterea multa phaenomena praeter partum nos movent, ut ponamus, dolores parturientis stimulo plexus hypogastrici effici. Videmus enim extra statum gravidum contractiones uteri, aut saltem conamina earum hac ratione oriri. Moneo v. g. ut in graviditatibus extrauterinis, in quibus uterus primum expanditur, serius post nonnullas hebdomades, cum ovum incongruo loco se excolat, et plexum hypogastricum stimulet, in eo oriantur contractiones. Has autem nullo alio modo explicare possumus nisi stimulo in hypogastricum ple-

xum exserto, cum iam diu ante normalem graviditatis finem intrent; cum porro, renovatis abdominalibus doloribus, etiamsi foetus mortuus in abdomine matris diu moratur post factam iam uteri imminutionem attamen se contrahendi conamina doloribus istis parturientis similibus adhuc se manifestent in utero. Illud etiam haud supervidendum est, quod passiones organorum abdominalium dolores parturientis facile et saepe procreant.

Introitus denique partus praematuri, tam repente affectionibus animi deprimentibus effectus nullo alio modo tam bene explicari potest, ac si momentum partus in aucta plexuum abdominalium actione ponimus. Videmus enim, affectionibus animi deprimentibus etiam in statu non gravido actionem nervi sympathici augeri, et in organis inde nervos ducentibus phaenomena irritabilitatis provocari. Nominandi v. g. hic veniunt illi casus, ubi in individuis irritabilibus post terrorem et metum tam saepe mictus involuntarius, et maximus ad alvum deponendam stimulus oriuntur. Si igitur post has animi affectiones deprimentes in gravidis contractiones uteri videmus procreari, iure possumus contendere, et has aucta plexuum abdominalium actione provocari. Metastasis etiam spasmorum partus, in quos primum animadvertisse, Ill. Stein maximum habet meritum, secundum meam sententiam optime ex causis partus intrantis derivari potest, cum dicimus, actionem, quae normali modo in plexu hypogastrico augeatur, metastatice in alia nervosi systematis parte praevalentem

fieri. — Antea iam dixi, rationem etiam gravidarum ad plures morbos non satis aliter posse explicari, nisi directa alienatione in nervosi systematis actione, et nunc paullo fusius de hac re locuturus sum. Hic praecipue minus de illis sermo est morbis, qui per graviditatem provocantur, quam de illis qui eiusdem introitu sistuntur, ne dicam tolluntur.

Frequentissime occurrit, mulieres hystericas et epilepticas durante graviditate ab his malis liberari quod memoratu dignissimum phaenomenon minime, ut mihi videtur, cum Ill. Stein Iun. a reproductivitate aucta potest derivari. Has enim modo dictas affectiones saepe extra graviditatem, non tantum in individuis cum reproductivitate suppressa, sed etiam in perfecte validis, quin imo in illis, in quibus (si scilicet hysteria ex affectione locali originem ducit.) praevalens reproductivitas abnormi se manifestat obesitate praesentes invenimus. Etiamsi vero affectiones nervosae modo dictae revera plerumque cum laesa se coniunguut reproductiva vi, inde tamen minime patet, laesam reproductionem illarum passionum esse causam, sed potius assumendum est, functionem nervorum corruptam illam reproductionis efficere corruptionem. Hoc verisimilius fit, cum mala illa tam saepe rebus directe in systema nervosum agentibus efficiantur, v. g. affectionibus animi deprimentibus, venere immodica, aut praeternaturali.

Etiamsi vero negare non possit, reproductivitatem suppressam introitui harum passionum nervosarum fa-

vere, attamen ab alia parte superviderі nequit, curationem earum a multis aliis rebus pendere quam ab excitatione reproductivitatis. In illis tantum malis nervosis, quae cum periodo evolutionis connectuntur, uti hoc plerumque apud choream St. Viti est, ad sanationem saepe sufficit, ut reproductionis negotium adiuvemus. Sed in his ipsis etiam casibus nervosae affectiones non re vera per reproductivitatem, in normalem statum redactam, sanantur, sed haec tantum, dum organismo facultatem se ulterius evolvendi praebet, efficit, ut morbus, a processu evolutionis solo pendens, simul tollatur.

In aliis contra casibus ad illas passiones nervosas sanandas iis utimur remediis, quae reproductionem directe coercent. Notissima est res, quod, ferro excepto, omnia metalla reproductionis negotio nocent, nihilominus autem haec ipsa principalia nobis sunt remedia contra illas affectiones. Quin imo illa saepe efficacissima sunt, quae reproductionem gravissime infestant. Arsenici hic mentionem facere sufficiat.

Si igitur iam hac ratione, per connexum inter morbos nervosos et reproductivitatem extra graviditatem constat, emansionem illorum malorum durante graviditate minime per auctam reproductionem posse explicari, hac eo luculentius evadit ex ratione illorum morborum ad graviditatem et partum, cum iam intrante partu epilepsiae prodromi denuo appareant, et haud multo post partum ipse redeat paroxysmus. Si enim reproductivitas aucta illorum morborum per gra-

viditatem emansionis esset causa, haec mala per totum lactationis tempus supprimi deberent. Ea enim du_ rante, reproductivitas aequaliter manet aucta, sanguificatio aequaliter valida, sanguis aequaliter materia plastica abundans atque in graviditate ipsa.

Simul vero cum graviditate ille systematis nervosi, tonus mutatur, qui indolem graviditatis constituit, quare omnia ad illos morbos pertinentia phaenomena multo melius explicari possunt per alienationem systematis nervosi immediate cum natura status gravidi coniunctam. Id, quod primus epilepsia tam diu suppressae insultus non statim cum partu intrat, inde sine dubio oritur, quod sensorium commune stimulo quidem morboso iam afficitur, sed systema nervosum in hunc stimulum nondum satis valide reagit, quia omnis eius actio ad partus actum directa est.

Ut defectu reactionis in stimulum morbosum in momento partus insultus epilepticus retinetur, ita etiam in graviditate, in qua omnis nervosi systematis actio intimam ad hunc statum habet rationem, defectus reactionis in alios est stimulos, qui gravidas tam saepe contra contagiones tuetur. Minime hoc phaenomenon reproductivitati auctae possumus tribuere. Videmus enim in non gravidis, mulieres optime valentes, robustas aeque facile morbis contagiosis offici atque illas, quarum reproductio sit suppressa. Sed videmus etiam individua morbis contagiosis laborantia, quorum organismus igitur iam contra contagium reagat, hoc ipso contra aliud esse tuta. Occurrunt qui-

dem per exceptionem nonnunquam casus, ubi homines morbo contagioso affecti, attamen adhuc altero corripiuntur, sed haud minus etiam gravidae inveniuntur, quae per eandem exceptionem morbis afficiuntur contagiosis.

In genere graviditas, etsi ad status physiologicos pertinens, magnam cum morbis contagiosis prae se fert analogiam. Ut haec et illa certa materia procreatur, eandem aut certe similem organismi rationem contra morbos efficit contagiosus atque hi inter se vicissim, uti denique in his etiam in graviditate substantia — foetus scilicet — excolitur, quae facultate gaudet, in alio organismo eundem procreandi statum, atque ille, cui ipsa debet originem.

Alia graviditatem saepe concomitantia phaenomena, quae directe a tono systematis nervosi mutato pendent, sunt: animi mutatae sensationes, taedium coitus exercendi, et horripilationes saepe obvenientes ardore volatili interuptae aut finitae.

Quod primum ad animi attinet alienatas sensationes, hae, saepe morositate, iracundia aliisve gravibus animi affectibus se manifestantes, et interdum in eo constantes, ut gravida animi conditionem priori ante graviditatem sibi propriae e diametro contrariam prae se ferat, facile fortasse e plethora oriente, et cerebro, inde cum sanguine repleto, explicari possent. — Sed interdum illae animi alieanationes statim post conceptionem intrant, ubi nondum reproductivitas aucta plethoram procreavit.

Mutatae porro nervorum actioni taedium exercendi coitus tribuendum est, quod in graviditate tam saepe observatur. Quod phaenomenon etsi apud homines saepe deest, hoc tantum mutato eorum per culturam organismo est tribuendum. Illud enim in graviditate observatum contra coitum taedium naturae legibus respondere, non solum analogia animalium, sed etiam emansio menstruationis probat. Menstruatio enim conamen naturae est criticum, quo genitalium irritatio periodice rediens tollitur. Si igitur videmus, in graviditate illud conamen criticum normaliter emanere, inde concludere possumus, illum quoque statum, hac crisi tollendum, haud adesse.

Opponere mihi quidem liceat, hanc rem tantum mutatam actionem in genitalibus, non autem in toto systemate probare nervoso, hoc autem fieret temere. Multifaria enim phaenomena probant, Gott optimo iure dicere, sedem desiderii ad exercendum coitum in cerebello et medulla oblongata positam esse. Debemus gitur, cum illius desiderii observamus mutationem, etiam mutationem actionis in illa systematis nervosi parte concedere.

Inter nervosi systematis mutatae actionis sequelas gravissima autem est reproductivitas aucta. Haec utique non modo saepe neglecta est, sed multi imo physiologi contenderunt, inter varias vis formativae manifestationes adesse antagonismum, ita ut, dum vis generandi agat vis reproductiva supprimatur, et nuperrime Dr. Hayn (Abhandlung über die innere Ursache

der eintretenden Geburt) monstrare studuit, reproductivitatem in graviditate esse imminutam, quae autem sententia, secundum ipsius Haynii assertionem, de sublimiori tantum reproductivitate valet, cum et hic assimilationem auctam concedat.

Ad imminutam reproductionem probandam illud praebent argumentum, quod durante graviditate vulnera et ossium fracturae valde difficile aut plane non sanantur. Hoc argumentum autem facillime est refutandum, dum ab alia parte multa gravissima et constantia symptomata probant, reproductivitatem in graviditate re vera esse auctam. Illud argumentum ea refutatur observatione, ut vulnera et ossium fracturae, ubi in genitalium regione occurrunt, facillime sanentur, ita ut illud factum nihil probet, nisi reproductivitatem in universo corpore auctam praecipue in genitalibus et regione iis vicina valide agere.

In omnibus corporis partibus turgoris vitalis incrementum percipitur, et inde igitur maior vis reproductivae energia manifestatur. Minus directe a repro-productivitate aucta, quam potius ab actione in genitalibus imprimis praevalente tumor glandulae thyreoideae tam saepe observatus dependet. Plura enim phaenomena sympathiam monstrant magnam, quae inter genitalia, et prae ceteris uterum, et thyreoideam intercedit. Moneo hic tantum, ut in individuis, quorum uterus erat scirrhosus, simul etiam in thyreoidea saepe loca degenerata inventa sint, ut porro Jodina, in thyreoideam tam specifice agens, etiam in uterum

vehementer agat, in quo saepe haemorrhagias provocat.

Alia res, quae, reproductivitatem in toto corpore auctam esse, probat, copiosissima illius sanguinis est generatio, qui magnam suam materiae fibrosae copiam praeter phaenomena, in vivo corpore ipso manifestata, etiam per crustam inflammatoriam, in coagulatione exortam luculentissime monstrat.

Clarissime autem et extra omne dubium aucta reproductio ea probatur re, quod gravidus organismus femineus, dum assimilati chyli partem foetui advehere debet, non tamen, uti credi deberet, plus ciborum, magisque restaurantes assumit, sed potius appetitus imminuitur, minus ciborum ingeritur, simulque taedium carnis aliarumque valde alentium substantiarum adest. Uti autem per exceptionem appetitus non imminutus est, taedium eiusmodi ciborum deest, ubi igitur plus ingeritur quam in graviditate plerumque fieri solet, ibi, si non ante graviditatem reproductio suppressa erat, facile plethora oritur universalis, quae saepe symptomata gravissima procreat.

Si hoc modo reproductivitas aucta ut mutationum, quas graviditas in organismo femineo gignit, maximam se manifestat, attamen ab alia parte haud negandum est, in singulis casibus, in quibus ante graviditatem nimis erat suppresssa, quam ut eius procreatum incrementum ad foetum satisfaceret alendum, naturam finem suum partim cum materni organismi prosequi damno. — Id verum esse multi eiusmodi probant casus, in

quibus gravidae rhachitide corripiuntur adultorum. Mollities ossium hic durante graviditate valde increscit.

Nunc ad illum me converto influxum, quem reproductivitas aucta in morbos exserit gravidarum. Haec scilicet non solum multis morbis gravidarum praebet originem, sed etiam decursum et evolutionem multorum ante graviditatem praesentium morborum mutare valet.

Ita notissimum etsi memoratu dignissimum est phaenomenon, ut phthisis pulmonalis non solum per graviditatem intrantem in decursu ulteriore retardetur, sed etiam, ut illa phthisis, si iam in provectiore gradu aderat, nihilominus graviditate in evolutione retenta, attamen versus septimum graviditatis mensem partum praematurum efficiat, et tum statim post partum pulmonalis passio citissime progrediatur, interdum iam in paucis diebus mortem adducat.

Imminutio symptomatum phthiseos, durante graviditate, sine dubio reproductivitati auctae tribuenda est, quae assimilationem tam largam efficit, ut ea maius organi affecti detrimentum impediatur.

Si autem in ipso, ad melius secundum apparentiam vergente, statu pulmonum affectio praematurum efficit partum, id inde oriri videtur, quod utero magis magisque se extendente, spatium pulmonum nimis coercetur, quam ut organon hoc effectum diutius functioni suae possit satisfacere. Oritur igitur magna pulmonum irritatio, mali incrementum, motus febrilis, partus praematurus.

Quod autem statim post partum, quamvis reproductivitas aucta perdurat, malum tantopere augeatur, non mirandum est, si hoc puerperae phaenomenon cum aliis comparamus. Iam supra memoravimus, tum in graviditate, tum durante lactatione sanguini validiorem inesse vitalitatem. Si igitur ulla re lactis secretio in mammis retinetur, in alio organo secretio abnormis vicaria provocatur cum symptomatibus gravissimis, plerumque inflammatioriis.

Facillime autem secretio lactis in mammis eo impeditur, ut aliud organon in statu versetur irritativo, qui congestiones eo efficit. Ita etiam pulmonum irritatio secretionem supprimit lactis, cuius loco magna symptomatum in pulmonibus gravitas oritur. — Uti autem secretio lactis etiam intraverat, ibi attamen aut ob lactationem deficientem mox cessaret, et tunc in pulmonibus actio morbosa praevaleret, aut, si lac e mammis suctione detrahatur, quod saepe fit, actio mammarum aucta pulmones tam vicinos certo in sympathiam traheret. Hoc modo primum in destructis pulmonum partibus status inflammatorius procrearetur, qui non solum destructione progredienti favet, sed etiam se cum excitatione systematis vasorum coniungit, quae, uti febris hectica semper, si non statim potest tolli, vires aegroti cito exhaurit et evacuationibus symptomaticis concomitantibus mox plane destruit.

Alius morbus, cuius progressus etiam per graviditatem saepe interrumpitur, est hydrops, quod phaeno-

menon eo mirabilius apparet, cum haud raro graviditas ipsa phydropem provocat.

Nihilominus autem utrumque, etsi sibi contradicere videantur, inter se optime congruit, et reproductivitate aucta efficitur utrumque. Progressus hydropis ante graviditatem praesentis hac tum solum interrumpitur et coërcetur, si characterem torpidum prae se tulit, et in debilitate vasorum resorbentium habuit originem.

Graviditas progressum huiusmodi hydropis, etiam tum, si ei vitium organisationis subest, in aliquod tempus retinere imo eius regressum efficere potest, quod in graviditate actio vasorum resorbentium est aucta, quod inde patet, quod, in tanta gravidarum assimilatione, tam parva copia materiarum alentium ingeritur, quae res tantum aucta assimilationis vi id est aucta vasorum resorbentium in graviditate actione potest fieri.

Hydropes illi, quos graviditas saepissime provocare solet, sunt: hydrometra et anasarca. Hic tantum de ultima loquor. Quamquam enim et hydrometra in graviditate multo saepius quam extra eam occurit, tamen minus arcte cum tota, in gravido organismo praesente, alienatione, quam cum alienata genitalium actione cohaeret. Hoc ita se habere, ex eo constat, quod in hydrometra gravidarum saepe omne reliquum corpus macessit. Illa autem phaenomena morbosa, quae proxime ab alienata genitalium in graviditate actione dependent, ex hac dissertatione omnino excludere volui.

Oedema, tam saepe in gravidis observatum, fere semper tantum in iunioribus, robustis, plethoricis individuis occurrere solet. Non autem hac re sola patet, illud oedema ad hypersthenicos pertinere hydropes, sed multo luculentius eo, quod ei plerumque tumor cutis dolorificus antecedit, qui, digito pressus, nullam relinquit foveam, in quo cutis temperatura potius aucta quam imminuta, in quo denique cutis non pallida sed lactinea tincta apparet, ita ut sine dubio turgor vitalis maior subesse videatur. Hoc porro oedema, cuius causam nonnulli medici adhuc in pressione uteri gravidi in extremitatum inferiorum, in quibus saepissime occurrat, vasa lymphatica et venas ponunt, alium nexum causalem habere, non solum ex anatomica ratione et phaenomenis antea nominatis sed etiam ex eo patet, quod 1, assertum illud, oedema saepissime in extremitatibus inferioribus observari, minime cum veritate convenit. Multo saepius enim tumor eiusmodi oedematodes, durante graviditate, in labiis pudendae observatur, in quibus, ut in genitalibus omnino, vasorum systematis actio praecipue exaltata est, 2, quod in nonnullis casibus oedema in extremitatibus superioribus observatur, interdum etiam hydrops anasarca totam corporis superficiem occupat.

Varicositas saepe in venis extremitatum inferiorum simul cum oedemate eorum obvenientes a multis pro argumento prolatae sunt, ut vasorum pressio oedematum sit causa. Hac autem varicositates multo

facilius e venositate in graviditate praevalente, aut potius e maiore venosi sanguinis copia potest explicari, cum maior venosi sanguinis vitalitas per se varices ad provocadas nihil possit conferre.

Ceterum si e prius dictis sequitur, hydropem, in graviditate occurrentem, plerumque sthenicum habere characterem, minime idcirco negari debet, etiam hydropem cum charactere asthenico in graviditate posse observari, et re vera interdum adesse. Id autem tantum in individuis fit, quorum reproductivitas ante graviditatem valde erat debilitata, in quibus igitur reproductio, graviditate aucta,non sufficiebat, ad illam virium impediendam imminutionem, quae per nimiam ad ovi evolutionem consumptionem materiae plasticae procreatur.

Quod attinet ad curationem oedematis et anasarcae gravidarum, sponte patet, eam mite antiphlogisticam et derivantem esse debere, mitioria igitur remedia antiphlogistica et purgantia esse indicata. Praecipue usui hic est tartarus depuratus, ob diureticam simul eiusdem vim. Purgantia, ut notus est, in graviditate semper cautissime porrigenda sunt, et tantum mitissima eligenda. Quivis enim in intestinalem canalem stimulus exsertus fortior duplici ratione est periculosus.

Primum enim functiones canalis intestinalis in graviditate, quia tanta in ea praevalet actio, facillime perturbatur, deinde autem magna canalis intestinalis irritatione effecta congestio sanguinis ad organa abdo-

minalia, aut etiam irritatio consensualis uteri facile abortum efficit.

Acida quoque vegetabilia et mineralia partim ob mitem eorum diureticam vim, partim, quia systematis vasorum actionem deprimunt, cum usu adhiberi poterunt. Diuretica autem acria aut narcotica non forent commenda. Altera enim facile perturbationes in canali intestinali movent, et diuresin tantum absunt, ut moveant, ut eam potius supprimant, nimis irritando renes.

Renes, qui in graviditate urinam valde saturatam secernunt, ut alia organa uropoetica, valde propensi sunt ad perturbationes, quibus inflammatoria subest diathesis. Narcotica autem diuretica idcirco vitanda sunt, quod in praesente plethora universali facile congestiones nocentes ad caput procreant. Venae sectio contra saepe magnopere indicata est; ut gravioribus malis, quae e plethora universali et venosi systematis turgescentia oriri possint, praecaveatur.

Remedia externa, a multis commendata, fomentationes aromaticae, infrictiones spirituosae, tantum in illis casibus usui esse possunt, in quibus perturbationes functionis cutaneae, aut atonia systematis lymphatici malo praebuerunt originem, in illis casibus autem, qui cum mutationibus per graviditatem procreatis in arcto stant nexu causali, in quibus, ut supra demonstratum est, aucta vasorum exhalantium actio, malum, hypersthenicum prae se ferens characterem, progenuit, remedia modo nominata magis nociva quam utilia sese

praebebunt, dum ortui inflammationis crysipelatosae favent. Nunc ad curationem inflammationis erysipelatosae, oedema cutis tam saepe concomitantis, transeo. In perfecta neglectione aut curatione prava haec inflammatio facile in ulcera superficialia transit, quae durante saltem graviditate, non sanantur, aut in gangraenam.

Uti in omnibus inflammationibus erysipelatosis cutis, etiam in hac necesse est, ut prae omnibus aliis in id animadvertamus, num ei fortasse status subsit gastricus. Si eiusmodi nullus adfuit, aut nunc saltem iam sublatus est, inflammatio erysipelatosa in gravidis nunquam aliud requirit remedium, ac si eadem affectio in statu ingravido affuisset. Dum enim in inflammationibus erysipelatosis, ubi in partibus oedematodibus occurrunt, in aliis casibus remedia roborantia cum diaphoreticis coniunguntur, in graviditate monendum semper est, oedema non e debilitatis statu sed ex reproductivitate aucta ducere originem.

In graviditate igitur, etsi inflammationes erysipelatosae curationem graviter antiphlogisticam, praecipue venaesectionem haud ferunt, hanc quidem vitabimus, attamen regimen antiphlogisticum commendandum, simulque salia antiphlogistica porrigenda sunt, quae in canalis intestinalis functiones bene agunt, inprimis ammonium muriaticum, aut tartarus depuratus.

Methodus leniter diaphoretica adhiberi potest, si inflammatio remittit, color pallidior, dolor mitior fit.

Curatio externae nulla alia est, quam quae in similibus casibus extra graviditatem locum habet.

In rem modo tractatam, quae fortasse maiore iure alium occuparet locum, fortuito tantum adductus sum, dum antea de hydropis decursu, graviditate retento, locutus sum, et inde occasionem sumpsi, contradictionem illam opinatam tollendi, quae in eo est posita, quod in aliis casibus graviditas ipsa hydropem procreat.

Haec res me excusset, quod iam hoc loco praepropere de hoc argumento discerni.

Nunc ad contemplationem perturbationum transeo, quae durante graviditate saepe in organis assimilationis occurrunt. De his primum loquor, quod saepe immediate ab alienata per graviditatem reproductivitate pendent, dum alii morbi gravidarum momentum suum praedisponens demum in effectu mutatae habent reproductionis, in copiosa scilicet fabricatione sanguinis venosi nimia scatentis vitalitate. Simul cum vi assimilationis aucta, quae a mutata nervosi systematis pendet actione, saepe in canali intestinali magnus intrat erethismus, qui in aucta actione plexus nervosi abdominalis habet causam. Hic status facillime morbosam reactionem tubi intestinalis in ipsos minores stimulos efficit. Morbosa canalis intestinalis phaenomena saepe iam mox post conceptionem intrant, quare ab aliis morbosis symptomatibus se discernunt, quae demum in ulteriore graviditatis decursu partim plethora praesente, partim eo provocantur, quod sanguis

nimis plasticus auctam actionem organorum et simul proclivitatem ad abnormitates functionum efficit. Id autem non dicere vult, affectiones tubi intestinalis, mox animadvertendas, non etiam interdum in ulteriore demum decursu graviditatis, ut sequelas copiosioris sanguificationis, oriri posse. Nausea, vomitus, diarrhoea, alvi obstructio, colici dolores, et cardialgia eiusmodi sunt affectiones, quae facillime in erethismo tubi intestinalis aucto causam habent praedisponentem. Is tantum vomitus, qui primis graviditatis occurrit mensibus, et plerumque, si non iam prius evanescit, certe non dimidiam graviditatem perdurat aut superat sensilitate maiore in organis assimilationis, per graviditatem provocata, efficitur. Ille contra vomitus, qui, ut nonnunquam fit, in ultimis demum oritur mensibus, perturbatione assimilationis, a plethora abdominali pendente, effici solet; in aliis casibus consensus cum cerebro accusandus foret, cuius functiones saepe congestionibus corrumpuntur. Si vomitus mitior est, nullum affert damnum, interdum ipse fit utilis, si post assumptionem ciborum nimis restaurantium intrat, in quos durante graviditate plerumque taedium adest, in hoc casu enim plethorae universali praecavet. In ulteriore graviditatis decursu plerumque sponte evanescit, quamvis in priore tempore nullo fugatur remedio. Vomituritiones nimis continuae, irritatione ventriculi continuante evolutioni morborum chronicorum possunt favere. Si vomitus cum maiore coniunctus est nisu, nimia concussione et sanguinis perturbatione nocivus

potest fieri, et abortui, quamvis rarissime, dare ansam. In casibus levibus haec affectio naturae est relinquendae, et diaeta sola moderanda.

Regio ventriculi a frigerio servanda est, cibi autem frigidi melius quam calidi feruntur. Balnea tepida, cutaneam augendo actionem, et hoc modo a tubo intestinali derivantia, saepe sunt commodo.

Usus acidi carbonici ad imminuendam ventriculi irritabilitatem maximum fert commodum, et plerumqne remedium commendatione dignissimum est. Remedia spirituosa contra et aromatica interne nullo modo aut tantum cautissime sunt danda. Saepe enim gastritidis ortui favent, quamobrem saepe, ob nimiam ventriculi irritabilitatem statim evomuntur. Attamen negari non potest, ea in aliis casibus, dum irritabilitatem ventriculi augeant, eius sensilitatis auctae symptomata tollere.

Nonnulli medici infrictionem remediorum aromaticorum et spirituosorum in regione ventriculi commendant. Infrictio autem ipsa plerumque denuo vomitum excitat, quare epithemata horum remediorum, quamvis haud saepe magnum afferant usum, praeferenda sunt. Saepe fomentationes sedantes cum usu applicantur. Si vomitus diu continet et status inflammatorius ventriculi se excolere minatur, antiphlogistica methodus mitior aut fortior est adhibenda.

Praeter sanguinis detractiones modo locales modo, si circumstantiae requirunt, universales, purgantia antiphlogistica mitiora commendantur, ut irri-

tatione in tenuibus intestinis facta a ventriculo fiat derivatio.

Haec methodus praecipue in eiusmodi vomitu se praebet utilem, qui demum in seriori decursu graviditatis oritur, et, ut supra dictum est, aut consensu a cerebri functione laesa, aut a corrupta per plethoram abdominalem reproductione efficitur, quae quidem saepius phaenomena contraria, in torpido statu posita, manifestat. — Epispastica raro quidem necessaria erunt, nonnunquam autem certo utilia.

Diarrhoea in graviditate ob sensilitatem canalis intestinalis partim mutata reproductivitate partim consensu cum genitalibus auctam facile intrant. Proxime a reproductivitate aucta, cum graviditatis indole coniuncta illa dependet diarrhoea, quae nonnunquam mox post conceptiouem intrat, per nonnullas hebdomades durat et saepe cum vomitu se coniungit.

Dummodo diarrhoea in graviditate mitiores sunt, sine ullo damno praeterire solent. Illa quidem diarrhoea, mox conceptionem sequens, per nonnullas hebdomadas perdurare solet, inserius apparentibus decursus a causis eam excitantibus dependet.

Diarrhoeae gravissimae, aut perdiu continentes evolutionem fructus impediunt et facile abortum efficiunt. Periculosissima est res, si diarrhoea, durante graviditate orta, ante partum non tollitur, quum post partum perdurans functiones puerperales, praecipue sudores et lactionem, corrumpat, ideoque ad periculosos morbos puerperalәs praebeat ansam. Curatio se-

cundam causas variatur, et id tantum monendum est, ut remedia calefacientia evitari debeant, ne enteritis oriatur, quae, in graviditate multo facilius quam extra eam excitatur.

Pica et malacia, quae in graviditate tam saepe occurrunt in rebus maxime variis sine dubio habent originem. Si, quod saepe fit, pica mox post factam conceptionem oritur, tum ut vomitus gravidarum supra memoratus ad erethismum ventriculi referenda est, quamobrem eandem requirit curationem, quae in vomitu indicata est, ut irritabilitatem ventriculi abnormem deprimamus. Si contra in ulteriore decursu graviditatis desiderium rerum acrium et excitantium oritur, tum luculentissime torpidus canalis intestinalis se manifestat status, qui in plethora abdominali tam facile oriri potest. In tali plethora etiam acidi in ventriculo generationem saepe occurrere, notissima est res, qua desiderium gravidarum tam frequens rerum absorbentium efficitur, quod solo usu absorbentium nunquam certo tollitur, sed moderationem functionis canalis intestinalis per tollendam plethoram abdominalem et sequentem usum remediorum aromaticorum amarorum sequirit. Desiderium eiusmodi rerum, quae multum substantiae alimentariae continent, uti chemica experimenta de pane nigra et fructibus leguminosis patefaciunt, quarum gravidae plerumque maximum monstrant taedium, quas autem interdum avidissime cupiunt, in illis tantum individuis occurrit, quorum reproductivitas ante graviditatem valde suppressa erat,

in quibus igitur reproductio et assimilatio validissima durante graviditate requiritur. In hoc casu etiam huic desiderio debemus satisfacere diaetam restaurantem praescribere, caute autem providere, ne substantiae, quae difficilius concoquantur, gastricum adducant statum.

Colica intestinalis in nonnullis casibus mox post conceptionem, in aliis autem post illos influxus nocentes oritur, qui etiam extra graviditatem colicam efficiunt. Hoc autem in graviditate e causis pluries iam nominatis multo fit facilius. In colica intestinali id praecipue respiciendum est, ut facile in enteritidem transeat. Saepe etiam diarrhoea critica finitur. Si vero vehementior fit, tum etiam per consensualem uteri irritationem abortum potest efficere.

Secundum causam curatio est varia, id tantum monendum est, ut in colica intestinali gravidarum usus remediorum calefacientium magis adhuc evitandus sit, quam extra graviditatem. Quamobrem in illis casibus, ubi in aucta irritabilitate originem habet, ad hanc deprimendam, praeter iustam diaetam et externa remedia, medicamenta acidum hydrocyanicum continentia opio praeferrem.

Obstructio alvi in gravidis tam frequens, praeter alias causas, quae in irritabilitate canalis intestinalis aucta eius functiones tam facile corrumpunt, saepissime etiam plethora abdominali, pluries iam memorata, procreatur, quod praeter alia etiam ex eo constat, quod tam saepe simul varices extremitatum inferiorum occur-

runt, quarum remotio aut imminutio remotam etiam plethoram illam requirit.

Quum per intrantem partum irritabilitas intestini crassi excitari soleat illa obstructio alvi raro tantum actionum partus superat. — Quod autem si in singulis casibus attamen fit, illa obstructio perturbationes puerperii, et in puerperio irritationem uteri, aut si faeces durae cum nisu excernuntur, in relaxata vaginae statu, descensum et prolapsum uteri potest provocare.

In illius obstructionis curatione maximi est momenti, diaetam moderari. Ad excitandam intestini crassi irritabilitatem clysmata laxantibus remediis praeferanda sunt, quae autem si in nonnullis casibus necessaria redduntur, drastica nunquam porrigenda sunt, quippe quae facillime haemorrhagias, abortum et enteritidem efficiant. Nonnunquam, ut id ex iis patet, quae de aetiologicis huius morbi retuli, obstructio alvi in graviditate semper revertens imminutionem sanguinis ipsam, quae ut gravioribus phaenominis praecaveatur, aut quia purgantia nihil efficiant dum plethora torpidum statum canalis intestinalis tuetur, necessaria fieri potest, aut per diaetam refractam et excretionem humorum per canalem intestinalem.

Iam in consideratione modo facta morborum organorum assimilationis, qui in gravidis tam saepe occurrunt memoratum est, praedispositionem ad illos non semper in erethistico statu canalis intestinalis esse positam, sed haud raro etiam in largiore

sanguificatione, et in sanguinis ad organa abdominalia aucto affluxu. Ortus multorum aliorum morborum, praeter hucusque nominatos, validiore sanguificatione, simul autem eo adducitur, quod sanguis venosus in graviditate magno vitalitatis gaudeat gradu, haud tamen supervidendum est non tantum in canali intestinali eiusque organis auxiliaris, sed etiam in omnibus organis, quae cum vita vegetativa in arcto stent connexu actionem graviditate maximopere esse auctam, et hac aucta actione praedispositionem datam esse ad abnormitates functionum.

Praecipue omnibus nominatis rationibus diathesis inflammatoria nascitur, et maxime quidem in organis abdominalibus, quorum actio, reproductionis negotio tam necessaria, valde aucta est, quae porro facillime per consensum cum utero in irritationem trahuntur, et ad quae affluxus sanguinis est fortissimus.

Inflammationes in graviditate omnes quidem exitus habere possunt, quos extra eam praebere solent, plerumque autem in inflammationibus, quae durante graviditate discernuntur, magis chronicum observamus decursum, quamobrem, si non dissolvuntur, plerumque in exsudationem aut indurationem, minus in suppurationem, fere nunquam in gangraenam transeunt. Haec res praecipue a praevalente in graviditate opportunitas praesens ad inflammationem diu conserventur, si autem fortior stimulus validiorem organi alicuius reactionem procreat, si igitur inflammatio fortior fit,

fere semper abortus adducatur, qui vario modo facile efficitur.

Si enim organa inflammata utero vicina sunt, abortum eo efficiunt, quod uterum in sympathiam trahunt, et in hoc organo statum inflammatorium aut congestivum provocant, hac ratione abortus facillime in cystitide aut in inflammatione intestinorum tenuium efficitur.

Praeterea inflammationes abortum eo provocant, quod febris eas concomitans congestiones ad uterum efficit, aut quod abnormi humorum affluxu ad arganon inflammatum foetus quominus alatur impeditur.

In originem et exitum nonnullarum inflammationum periodus graviditatis, et uteri inde dependens mechanicus influxus habet vim.

Si inflammatio post partum adhuc perdurat neque haemorrhagia in partu intrante tollitur, partu superato renovata vehementia apparere et febrem puerperalem efficere solet. Dum enim post partum sanguis magis ad mammas et ad peripheriam corporis affluere debeat, hoc per inflammationem organi impeditur, ita ut congestiones sanguinis ad organon inflammatum, functiones puerperales perturbent, inflammationem autem augeant.

Si vero inflammationes, durante graviditate, in indurationem transierunt, post partum facile inflammatio redit, et in suppurationem transit.

In curatione inflammationum gravidarum multo plus sanguinis detrahi potest, quam in statu non gra-

vido, quae res e plethora et copiosiore sanguificatione in graviditate facile explicanda est. Quin fusius de singulis inflammationibus loquar nonnulla tamen afferam, quae iis in graviditate sunt communia.

Uterum in graviditate eximiam habere proclivitatem ad inflammationem, iam ex eiusdem ad graviditatem ratione patet. Hic tantum id memorabo, etiam mutatam eiusdem in graviditate structuram illam proclivitatem arguere. — Minus hic de relaxatione parenchymatis et de mutatione in vasorum situ et extensione loquor, quam potius de fibris illis in gravido utero observandis.

Hae quidem satis universim pro fibris muscularibus habentur, sed sufficienter Ill. Stein iun. demonstravit, hanc assertionem esse falsam. Praetermissis argumentis ab eo propositis, in similitudinem tantum animadverto magnam, quam hae fibrae cum illis inflammatione saepe procreatis praebent. Nunquam enim fibras musculares in decursu vitae orientes, aut iam praesentes videmus evanescere. Fibrae autem uteri gravidi post partum evanescunt, easque in utero non gravido, certe in statu normali, nunquam observamus. Iure igitur assumere mihi videor, eas, fibris inflammatoriis similes, vegetatione uteri, durante graviditate, aucta procreari et postea resorberi. Id eo verisimilius fit, cum hae fibrae etiam in aliis casibus occurrant, in quibus uteri vegetatio modum excedit et excrescentiae in eo oriuntur.

Uteri inflammatio in graviditate plerumque par-

tum excitat immaturum et haemorrhagia uteri illum in sequente aut tollitur aut certe imminuitur. Sedes inflammationis uteri gravidi plerumque est fundus, quippe in quo vegetatio maxime praevalet et organicus connexus cum foetu fortissimus est. Exitus huius inflammationis varius est et de eo pendet, utrum inflammatio erysipelatosa erat aut phlegmonodes. Prior aut in externo integumento aut in interna membrana uteri habet sedem et facile concretionem efficit cum omento, peritoneo, intestinis tenuibus, aut, si interna membrana inflammata est, nonnunquam etiam cum chorio. In aliis casibus inflammatio erysipelatosa in phlegmonodem transit. Concretio cum omento aut peritoneo durante partu saepe originem praebet doloribus, perturbationibus functionis puerperii, rupturis partium et inflammationi in puerperio periculosissimae. In concretione internae uteri membranae cum chorio post partum facile pars huius in utero remanet, et haemorrhagias gravissimas, aut, in continuata uteri irritatione, febrem puerpuralem efficere potest.

Si inflammatio uteri phlegmonodes non dissolvitur, neque abortum adducit, in suppurationem transire solet. Pus in hoc casu aut extrorsum viam sibi ap perit aut in cavis abdominalibus se colligit. Tum tantum, si pus per orificium uteri defluit aut abscessus minor per laquear vaginae penetrat, sanatio saepe potest effici; ubi autem hydrops sic dictus purulentus oritur, aut pus per rectum aut vesicam urinariam penetrat, aut abscessus maior est, mors solet adduci.

Curatio non ab ea est aliena, quae in metritide eiusque morbis secundariis extra graviditatem adhibetur. Id tantum monendum est, minorem quidem abscessum, qui per laquear vaginae aut per integumenta abdominalia tangi possit, apperiendum esse, non autem abscessum maiorem, quia saepe mox post evacuationem haemorrhagiae vehementes periculosissimae oriantur, inclauso autem abscessu foetus saepe ad perfectam maturitatam feratur.

De inflammatione mammarum monendum est, erysipelatosam saepius, phlegmonodem rarius dissolvi. Haec si partum immaturum non efficit aut in indurationem aut suppurationem transit. In tuberculo mammae, durante graviditate, quaevis irritatio multo cautius abstinenda est, quam extra illam, quia facillime denuo inflammatur. Quam ob rem induratam mammam suspensorio suffulcimus et in maiore temperatura conservamus. Post partum induratio plerumque dissolvitur, aut, si id non fit, denuo inflammatur. Suppuratio in mamma aut usque ad finem graviditatis perdurat, et si profusior est evolutioni foetus nocet, aut, si suppuratio desinit, plerumque durities magnitudine abscessus remanet, quae in periodo lactationis aut dissolvitur aut denuo in suppurationem transit.

Id de inflammationibus sufficit.

Praeter inflammationes autem reproductivitas aucta momentum praedisponens fit multarum in graviditate occurrentium affectionum. — Luculentissime hic influxus in genitalibus se manifestat. Sed de vegeta-

tione morbosa in iis effectis statibus innormalibus non loquor, et uti augmentum sarcomatum steatomatum et polyporum uteri in graviditate silentio praeterii, ita etiam copiosae lactis secretionis in mammis durante graviditate nullam facio mentionem. Si autem in morbis gravidarum adhuc contemplandis indoles inflammatoriae haud clare se manifestat, plurimis tamen diathesis phlogistica mitiora subest.

Nunc ad morbos organorum reproductionis me converto, sed illi qui adhuc contemplandi sunt ab illis eorundem organorum morbis, iam antea consideratis, eo discernuntur, quod hi maximam ad partem ab erethico statu canalis intestinalis in graviditate dependebant, illi autem, de quibus nunc sermonem facturus sum, cum aucto affluxu sanguinis ad haec organa et cum validiore vitalitate sanguinis venosi in arctissimo stant connexu. — Dum morbi canalis intestinalis prius considerati plerumque mox post conceptionem factam intrant, illi nunc contemplandi plerumque in ulteriore demum graviditatis decursu sė evolvunt.

Primum de ictero aurato.

Quamvis extra graviditatem multifarii status huic morbo subesse possunt, una tanta diversitas semper praecipue animadvertenda est.

Dum enim in uno statu maior minorve gradus affectionis inflammatoriae in hepate secretionem bilis in hoc organo impedit, et cutis renesque actionem vicariam pro eo suscipiunt, in altero rariore et mitiore casu nimis copiosa bilis excretio in ductum cibarium,

cuius vasa lactea partem bilis resorbent, causam icteri phaenomeno praebet.

Uterque hic status etiam in graviditate observatur. Dum prior facile ob auctam actionem organorum abdominalium, ob congestionem sanguinis venosi ad hepar, ob maiorem vitalitatem sanguinis venosi, ad quem hepar secundum functionem suam maximam habet affinitatem, si excolit; posterior status oritur, aut si eaedem causae in mitiore agunt gradu, aut per mechanicam vim uteri expansi. De hoc autem per excretionem bilis machanice auctam sine mutata secretione procreato ictero non amplius loquor. Si autem bilis secretio in hepate aut abnormis aut plane suppressa est, prognosis partim a vehementia irritationis in hepate, partim a conditione huius organi, iam ante graviditatem praesente, partim denique a stadio graviditatis pendet. Saepe etiam icterus, qui, durante graviditate, nulli cedit remedio, post eam sponte evanescit.

Curatio huius icteri ab ea non aliena est, quae extra graviditatem adhibetur. Id tantum monendum est, quod in graviditate saepius quam extra eam detractiones sanguinis indicatae sint, partim ad copiam sanguinis venosi imminuendam, partim ad plethoram abdominalem tollendam, quod igitur etiam omnia illa remedia adhibenda veniant, quae huic consilio satisfacere possint. Salivatio, sequela actionis in glandulis salivalibus per reproductionem auctam nimiae, in graviditate magnum gradum assequi non solet, itaque phaenomenon minoris est momenti.

Praeter methodum modice antiphlogisticam et derivantem remedia localia adhibenda erunt, quae directe irritationem in glandulis salivalibus deprimunt.

Dummodo plethora, simul cum salivatione praesens, aliasque organismi perturbationes efficiens, venaesectionem non requirit, hae per salivationem ipsam non indicatae sunt. Mitiora autem purgantia antiphlogistica porriguntur, quae non tantum derivatione facta, sed etiam humorum evacuatione afferrunt commodum. Drastica purgantia nullo modo indicata sunt, quippe quae primum in graviditate semper sint noxia, deinde autem in salivatione etiam extra graviditatem, quam saepe etiam adhibeantur, periculum afferre possunt, affectionem in pancreas transferendo.

De remediis localibus in salivationem etiam extra graviditatem adhibitis illa, quae irritationem salivalium glandularum deprimunt, efficaciora sibi praebent, quam adstringentia. Maximum igitur commodum affert opium, quod in mucoso vehiculo ut gargarisma dari potest. Opium enim, ut notum est, praeter narcoticam suam, irritationem deprimentem, vim, etiam effectum omnes secretiones imminuentem exercet.

Pyrosis in graviditate tam saepe occurrens plerumque cardialgia stipata est. Etiam in hoc casu praeter restitutionem normalis secretoriae actionis ventriculi imminutio irritationis in hoc organo indicata est. Qui autem status, quum plerumque serius demum in graviditate excolatur, ubi partim sanguis magna vi-

talitate gaudens diathesin inflammatoriam efficit, partim saepe diuturno vomitu ventriculus valde eritatus est, in plurimis casibus methodus mite antiphlogistica maximum affert commodum. Praeterea partim per remedia absorbentia mixtio succi gastrici corrigenda, partim per amaricantia vis secretoria ventriculi ad normalem statum est reducenda; et si post usum remediorum antiphlogisticorum irritabilitas ventriculi non sublata est, tum prae aliis ad hunc finem remedia, acidum carbonicum continentia commendanda sunt.

Nunc ad phaenomena morbosa organorum uropoeticorum transeo. —

Perturbationes, quae durante graviditate in functionibus organorum uropoeticorum percipiuntur, sunt variae. Hic tantum de iis sermo esse potest, quae in arctiore ratione ad illas feminei organismi mutationes stant, quae graviditati propriae sunt. Quamobrem nec de illis organorum uropoeticorum affectionibus sermo erit, quae per mechanicum uteri influxum provocantur, neque incrementum morborum organorum uropoeticorum, iam ante graviditatem praesentium, erit respiciendum.

Illa scilicet phaenomena morbosa, quae cum statu organismi feminei graviditati proprio, in causali stant connexu, praecipue spasmis se manifestant; nihilominus autem e pluribus causis assumere debemus, abnormem organorum uropoeticorum in graviditate sensilitatem in diathesi inflammatoria habere originem.

Primum enim videmus, inflammatoriam irritatio-

nem viarum uriniferarum saepissime spasmos efficere. Moneo v. g. stranguriam et incontinentiam urinae spasmo effectam, quae inflammatoria affectione paullulum fusius extensa in medorrhoea tam saepe oritur. Affero porro spasmodicas constrictiones colli vesicae urinariae inflammati aqud calculos vesicae. — Nemo etiam mirabitur, haec phaenomena in organis observemus. Ita tussi convulsivae diathesis inflammatoriae pulmonum subest. Gastritis chronica gravissimas procreat cardialgias. Praeterea autem iam in normali functione organorum uropoeticorum (ne denuo semper sanguificationem copiosam et auctam sanguinis in graviditate vitalitatem, quae tam facile irritationem et inflammationem procreare potest, insensum vocemus) in graviditate aucta se manifestat actio. In gravidis enim multo plus urinae saturatae excernitur quam extra graviditatem. Itaque assumere debemus, diathesin phlogisticam morbosis subesse phaenominis, quae apud gravidas in uropoeticis organis observentur. Non autem silentio praeterire debet, interdum consensum uteri vicini cum vesica urinaria haec phaenomena efficere.

Prognosis in stranguria et incontinentia urinae spasmodica est bona. Prior autem in prava gravidarum diaeta facile in ischuriam transit, haec facile retroversionem uteri metritidem et abortum efficit, interdum in cystitidem transit, et si urina in nimia copia colligitur, nec malum tollitur, rupturam vesicae mortemque potest adducere. Interdum, postquam

sublata est, in longum tempus incontinentiam urinae relinquit. Praeterea monendum est, difficultates negotii uropoetici in gravidis saepe durante graviditate nullis remediis perfecte posse tolli.

Indicatio in curatione ex indole mali sponte patet. Plura phaenomena monstrant, quem gravem influxum irritatio sanguinis arteriosi in systema nervosum exerceat. Moneo, quod post vehementem sanguinis iacturam gravissima symptomata nervosa intrent, porro quod, si carotides in utroque latere ligantur, statim asphyxia oriatur, iniectionibus autem sanguinis arteriosi vita possit revocari.

Hoc modo dicta argumenta probant, sanguinem vehementissimum, ad conservandam normalem eius functionem necessarium, stimulum in systema nervosum exserere. Alia phaenomena autem simul probant, abnormem sanguinis conditionem, vehementemque eius ad cerebrum congestionem morbosa phaenomena in systemate nervoso provocare. Hic tantum de hydrocephalo acutissimo moneo.

Attamen haud valde mirandum est, si in graviditate per mutatam sanguinis conditionem morbos nervosos observamus intrare. Leipothymiae, convulsiones et animi functionum perturbationes interdum graviditatem concomitantur-

Hic primum de convulsionibus gravidarum loquor, quae ad phaenomena memaratu dignissima pertinent, quippe quod mirum videatur, graviditatem, dum in multis casibus introitum convulsionum, ante gravidita-

tem praesentium abstineat, in aliis casibus convulsiones procreare. — De illis convulsionibus, quarum insultus graviditate supprimuntur supra disserui, hic igitur de illis tantum mihi agendum est, quae graviditate ipsa provocantur. — Epilepsiam, iam ante graviditatem praesentem, in singulis casibus etiam durante graviditate facere insultus, iam supra memoravi, et eadem ratione convulsiones quoque in graviditate per similes influxus provocari possunt, quae eas (ut v. g. haemorrhagiae) etiam extra graviditatem procreant. — De hoc statu autem hic sermo esse non potest, sed tantum de illis convulsionibus, quae mutationibus, per graviditatem in organismo femineo effectis, provocantur. Has revera eo produci, quod sanguis, nimia vitalitate gaudens, maiorem igitur vim in systema nervosum exercens, vehementius ad cerebrum, aut rarius ad medullam spinalem, affluat sequentia probant argumenta.

1) Convulsiones praecipue in eiusmodi gravidis occurrunt, quarum vis reproductiva iam ante graviditatem valida erat, in quibus igitur intrans incrementum reproductionis facile plethoram procreat.

2) Diaeta nimis roborans convulsionum ortui favet.

3) Introitui convulsionum in graviditate ut prodromi varia signa congestionum ad caput antecedunt.

4) In curatione illarum convulsionum nullum remedium tam efficax se praebet quam detractiones sanguinis. Ita Schroeder in gravida, quae in pluribus se

insequentibus graviditatibus semper convulsionibus laborabat, observavit, ad sanandas illas convulsiones semper rariores sanguinis detractiones necessarias esse factas, quo magis illa gravida in aetate proveheretur, quo debilior igitur reproductio et sanguificatio redderetur.

5) In mortuarum sectionibus vasa cerebri et integumenta sanguine repleta, in singulis casibus vestigia inflammationis medullae spinalis reperta sunt.

6) Accessioni denique eclampsiae graviditate ortae ut prodromi, tumor, turgescentiam vasorum cutaneorum monstrans, palpebrarum, totius faciei, interdum etiam totius corporis antecedit ad connexum huius tumoris cum eclampsia gravidarum Osiander iunior primus animadvertit (Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde Bd. 2. Heft 3.) De indole huius tumoris supra iam fusius locutus sum.

Prius iam dixi, interdum vehementem sanguinis congestionem ad medullam spinalem convulsiones provocare, quod revera ita se habere vestigia myelititis probant, quae apud gravidas convulsionibus defunctas, nonnunquam reperta sunt.

Hic tantum ad illud animadverto, quod in illis casibus, in quibus convulsiones sine iactura conscientiae occurrunt, eae certo non ab affectione, cerebri saltem non maioris, sed potius ab affectione, aut cerebelli, aut medullae spinalis dependeant.

Haud raro fit, ut quamvis ante partum prodromi eclampsiae, signa nempe congestionum ad caput et tumor memoratus, adfuerint, in partu tamen accessio

convulsionum non appareat, quod in tanta systematis vasorum durante partu praesente irritatione exspectandum esset. Haec res certo non inde venit, quod in partu affluxus sanguinis ad abdomen maxime sit auctus itaque derivatio a cerebro fiat. Nihilominus videtur insultus convulsionum, quarum loco haud raro etiam spasmos tonicos observamus, in partu ipso tum tantum fieri, si ulla perturbatio in normali uteri actione adest. Si autem partus sine eruptione spasmorum praeteriit, et imminutione plethorae, sicut praevalenti venositati prophylactica venaesectione et evacuatione humorum non providetur, tum in puerperio accessio eclampsiae emanere non solet.

Interdum eius loco encephalitis se excolit, et ipse iam occasionem habui observandi, encephalitidem intrasse, postquam insultus convulsionum adfuerat, et methodus antiphlogistica in minus sufficiente gradu fuerat adhibita. Praeterea in prognostico respectu monendum est, convulsiones graviditate procreatas multifario modo damnum posse afferre.

Si conscientia in insultu plane non amittitur, hoc bonum est omen.

Vehementiori enim medullae spinalis affectione cerebrum in sympathiam trahitur et conscientia evanescit.

Periculosissimum autem est signum, si accesio diu continet, et ea finita status soporosus remanet. Hoc phaenomenon enim metum apoplexiae aut encephalitidis excitat.

Utrum spasmi tonici sint aut clonici in eclampsia gravidarum non idem constituit discrimen, quod hoc respectu in spasmis extra graviditatem locum habet. Imo etiam spasmi clonici hic idcirco periculosiores sunt, quia facile rupturam uteri, itaque mortem aut saltem sublatum connexum inter placentam et uterum, ideoque abortum efficere possunt.

Mortem gravidarum convulsiones vario modo possnnt adducere. — Rupturae uteri, et transitus periculosissimi in encephalitidem iam prius facta est mentio. Praeterea autem mors sequi potest, si vehementia açcessionis vis reagendi systematis nervosi plane supprimitur et tollitur. In his casibus convulsiones usque ad mortem perdurant. Saepius autem vehementi sanguinis ad cerebrum congestione apoplexia sanguinea adducitur. In hoc casu, convulsionibus sublatis sopor remanet, sicuti etiam in hoc casu convulsiones saepe plane tolli nequeunt. Interdum etiam alienationes mentis remanent. — Ex aetiologicis huius morbi autem luculenter patet, ad eum sanandum methodum antiphlogisticam et derivatoriam esse adhibendam. — Quare detractiones sanguinis universales et locales, clysmata apperientia, salia antiphlogistica, praecipue nitrum et purgantia, praeprimis calomel, porro epispastica ad suras et brachia indicata erunt, quibuscum fomentationes frigidae, epithemata et superfusiones frigidae in caput possumus coniungere.

Si post usum horum remediorum phaenomena inflammatoria sublata sunt, sed soporosus status et laesa

cerebri functio remanet, ita ut extravasati praesentia, aut hydrocephali evolutio iure timenda sit, remedia requiruntur, quae resorptionem adiuvant et augent, interne igitur digitalis, calomel et similia danda erunt, externe epispastica in nucha vel cranio, aut infrictiones unguenti hydrargyri cinerii vel unguenti tartari stibiati. Multi medici in convulsionibus graviditate procreatis puerperium artificiale commendant, hoc autem aut plane non effici poterit, aut saltem periculum vitae matris non modo non imminuet sed irritatione efficienda multo augebit. Imo etiam pro servanda foetus vita in tam violento puerperio fere nulla est spes.

Leipothymiae in graviditate pluribus rationibus effici possunt. Mox enim ut sequela hysteriae, iam ante graviditatem praesentis, intrant, quae graviditate non sublata est, quod rarius quidem fit. — Mox fortuitis causis provocantur, quae etiam extra graviditatem leipothymias efficere solent. — Mox denique ut sequela mechanici influxus uteri gravidi occurrunt. De omnibus autem his statibus hic sermo esse non potest, sed illae tantum leipothymiae hic respiciendae sunt, quae a mutationibus pendent, quas graviditas in organismo femineo procreat.

Hoc autem duplici fit ratione. In plurimis casibus hae leipothymiae in plethora graviditatem concomitante causam praedisponentem, et in omnibus congestionem ad caput rebus efficientibus causam occasionalem habent. Oriuntur igitur, dum repletio cerebri cum sanguine actionem eius supprimit eiusque func-

tiones impedit. In rarioribus casibus, in quibus, ut supra memoratum est, foetus cum detrimento reproductionis matris se evolvit, leipothymiae in sensibilitate aucta momentum habent praedisponens, et causam occasionalem in omnibus rebus, quae sensibilitatem afficit.

Dum haec ultima species leipothymiarum debilitatum statum organismi maxime indicat, quo magis exculto, facile possit necari, in illis contra leipothymiis, quibus plethora subest, timendum est, ne momentum, iis fontem praebens, apoplexiam adducat.

Praeterea leipothymiae etiam fructui periculosae sunt, quum perturbationibus circulationis matris negotium respirationis fructus interrumpant.

Praeter detractiones sanguinis universales vel locales et clysmata illae leipothymiae, quae a plethora et statu congestivo ad cerebrum dependent, etiam usum externum remediorum excitantium volatilium, actionem systematis nervosi irritantium, requirunt.

Eandem aut certe similem rationem pathogeneticam, ac convulsiones gravidarum supra memoratae alienationes quoque mentis habent. Maximam ad partem oriuntur ex repletione cerebri cum sanguine, sed tamen id plerumque cum morboso stimulo cohaeret, quem sanguis ob maiorem eius venositatem in cerebrum exercet.

Supra enim iam demonstravimus, quanti momenti pro cerebro conditio arteriosa sanguinis sit ad ipsum influentis.

Alienationes mentis sub conditionibus intrare videmus, quae copiosae sanguificationi favent, et magnam vitalitatem systematis nervosi indicant. Saepe in puerperio et tota lactationis periodo perdurant. — Haud raro autem evanescunt, dummodo negotium lactationis rite peragitur, sensim sensimque, quippe quo plethora tollatur, et quia simul actio pulmonum increscat, itaque venositas sanguinis, multifariis excretionibus coercita, magis magisque imminuatur.

Curatio, quam hic status morbosus requirit, ex indole eius sponte patet. Praeter detractiones sanguinis praecipue salia purgantia indicata erunt, partim, ut a capite derivemus, partim ut evacuatione humorum conditionem sanguinis mutemus. Dolendum est, quod nihilominus hae mentis alienationes nulli cedant remedio, et nunquam per totam vitam perdurant. In his casibus certo desorganisationes cerebri vel eius integumentorum, fortasse etiam exsudatum serosum habet locum. In his casibus eiusmodi cura instituenda est, per quam sperare possimus, eam, dum resorptionem materiarum morbose excretarum provocet, normalem partis structuram esse restituram. — Saepe quidem omnia conamina sanandi sunt frustranea. Ceterum iam supra huius curationis feci mentionem.

Maximi momenti et memoratu dignissima est ratio febrium intermittentium in gravidis occurrentium. In his enim saepe tanta pertinacitas observata est, ut durante graviditate nullo modo potuerint sanari.

Haec autem pertinacitas tum tantum apparebit, si causa non sufficienter respecta fuerit, quae in graviditate concoctionis perturbationes, in febribus intermittentibus semper praesentes, conservat. — Plethoram abdominalem ad perturbationes concoctionis et ad profundiores affectiones reproductionis haud raro praebere ansam, notissima est res, et in graviditate quoque, plethora adominalis, eam concomitans, torpidum statum organorum reproductionis efficit, ideoque est causa, cur febris intermittens remediis febrifugis efficacissimis haud tollitur. Si autem plethora abdominalis antea sublata est, etiam febris intermittens facile erit sananda. Saepe autem indicatio ad venaesectionem multo magis urget, quia in plethora universali, in gravidis tam frequente, febris intermittens plerumque characterem inflammatorium prae se fert. Eadem ceterum ratio, e similibus causis, etiam in febribus intermittentibus puerperarum habet locum. Pluries occasio mihi data erat observandi, febrem intermittentem gravidarum, post venaesectionem satis fortem, ammonio muriatico cum kali tartarico et vino stibiato brevi esse sanatam. Quae autem remedia etiamsi non sufficerint, attamen febris intermittens usui corticis chinae mox cedit.

Eiusmodi quidem casus hic erunt excipiendi, qui post plures demum menses curationi traduntur, postquam iam physionias aut statum cahecticum provocarunt. In his casibus, in quibus venaesectio fortasse ob virium debilitatem, quae diuturnitate febrium et perturbationibus assimilationis procreata est, contraindicatur, praeter alia remedia, ad dissolutionem intumescentiarum necessaria, detractiones sanguinis locales praecipue erunt utilia, attamen non negandum est, inter hos casus nonnullos esse reperiendos, qui durante graviditate sint insanabiles, quia sanatio desorganisationum est difficillima. Observatio illa, febres intermittentes saepe abortum efficere eo explicatur, quod statu spasmodico vasorum periphericorum in stadio frigoris congestio ad organa interna, praecipue ad uterum, habet locum.

Hanc abortus esse causam non tantum eo proba-

tur, quod ita optime abortus intelligitur, sed etiam a nota illa observatione, etiam ab Elias von Siebold affirmata (Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten 2. Bd. Seite 171.) febres intermittentes eo facilius adducere abortum, quo vehementius sit frigus.

In adhuc arctiore nonnexu quam multi morborum hucusque memoratorum varices gravidarum cum plethora praecipue abdominali sunt causali. Quod ab omnibus fere medicis assumitur, has varices a pressione uteri gravidi in vasa maiora dependere, mihi plane videtur refutandum. Si enim id verum esset, varices in eo loco saepissime essent reperiendae, quo uteri expansio sit maxima, quod autem nunquam ita se habet.

In graviditatibus geminorum quidem saepe varicositates inveniuntur, non autem aeque in magna uteri extensione ex aliis causis. Praeterea autem varices ab extensione nimia uteri idcirco iam non dependere possunt, quod eas etiam in illis casibus invenimus, ubi uterus non supra modum extenditur.

Quod autem haec morbosa affectio etiam in graviditatibus geminorum a nimia plethora dependeat, eo probatur, quod etiam in his oedema illud inflammatorium, et quidem in extremitatibus superioribus et facie saepius occurrat quam in graviditatibus simplicibus.

Ceterum varicositates gravidarum in genere a plethora, et praecipue abdominali dependere, sequentia probant argumenta notissima.

1) Varicositates saepissime in constitutionibus plethoricis occurrunt.

2) Multo saepissime in individuis apparent, quae iam pluries pepererunt, in quibus igitur, per reiteratas graviditates plethora iam constitutionalis reddita est.

3) Varicositates denique semper signis plethorae abdominalis stipantur, segni alvo, organorum reproductionis torpiditate, et affectionibus haemorrhoidalibus, quae saepe etiam ut tubercula haemorrhoidalia se manifestant.

CURRICULUM VITAE.

Ego Petrus Worbertz natus Coloniae ad Rhenum undecimo calendas septembris anni MDCCCI confessioni catholicae adscriptus. Patrem venerabar Guilelmum Worbetz, matrem gertraudam e gente Berschel. Solitis puerorum disciplinis in patris urbe imbutus sum. Adhuc infanti mihi pater abreptus est, et non multo post et mater diem supremum obiit. Parentibus orbus admonente avunculo gymnasium coloniensem frequentavi et litteris, quae ibique traduntur, operam navavi. Sed fato infausto coactus gymnasium non amplius frequentare potui, sed institutione privata et diligentia propria, quantum valebam in iis litteris, quae me adhuc fugiebant, me excolere studui, ita ut annum vigesimum primum agens et a rebus militaribus suspensus, litterarum universitatem Bonnensem adierim et civibus academicis anno MDCCCXXII. Rectore magnifico Ill. a Münchow adscriptus atque t. t. Decano Ill. Mayer in album medicorum ordinis relatus sim. —

Scholas frequentavi hasce.

Logicen apud doctiss. Esser, morbos animi et anthropologiam apud Ill. Nasse, botanicen apud Ill. Nees ab Esenbeck sen., botanicen pharmaceuticam apud Ill. Nees ab Esenbeck iun., chemiam experimentalem nec non phytochemiam et zoochemiam apud Ill. Gust. Bischof.

Osteologiam et syndesmologiam apud doctiss. Weber, histologiam, anatomiam specialem et chirurgicam, structuram et functiones intestinorum thoracis et cavi abdominis et physiologiam apud Ill. Mayer, qui uterque etiam in cadaveribus dissecandis mihi moderatores erant, pathologiam universalem cum semiotica apud Ill. Ennemoser, pathologiam specialem et diaeteticam apud Ill. Harless, materiam medicam apud Ill. E. Bischof et Ill. Harless, therapiam tam generalem quam specialem morborum acutorum et chronicorum bis apud Ill. Nasse, chirurg. general. et special., operationum chirurgicarum doctrinam, fracturas et luxationes ossium, fascias et deligationes chirurgicas applicandas, morbos oculorum bis apud Ill. Phil. a Walther, obductionum publicarum doctrinam apud doctiss. Weber, cerebri et nervorum cognitionem organorum sensuum anatomiam apud Ill. Mayer, physiologiam hominis et animalium apud Ill. Nasse, physiologiam regenerationis et foetus aput doctiss. Müller, medicinam forensem et formulare apud Ill. E Bischof, utramque partem artis obstetriciae, sicuti repetitorium ac examinatorium in hac scientia et exercitationes in Xenedochio apud Ill. Stein, atque duc. Ill. Stein in praxi obstetricia per totum annum me exercui; medicinam forensem apud Ill. Nasse, partem obstetriciam, doctrinam graviditatis

apud doctiss. Hayn, doctrinam instrumentorum obstetriciae apud Ill. Mayer, atque duc. Ill. Mayer et doctiss. Hayn exercitationes in Xenedochio; in praxi obstetricia per unum semestre me exercui, clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum duc. Ill. Phil. a Walther per semestre auscultando et semestria tria practicando, in exercitationibus therapeuticis clinici et policlinici duc. Ill. Nasse. Bonna relicta ad almam literarum universitatem Berolinensem profectus sum, ibique Rectore magnifico Klenze numero civium academicorum adscriptus et Denaco Ill. Bartels in album relatus sum.

Physicen experimentalem apud Ill. Hermbstaedt, zoologiam generalem apud Ill. Lichtenstein, mineralogiam apud Ill. Weiss, hippocratis aphorismos apud Ill. Bartels, Ciceronis orationes apud Ill. Zumpt, exercitationes clinicas medicas apud Ill. Bartels, artis obstetriciae partem practicam apud doctiss. von Siebold, doctrinam de morbis infantum apud Ill. Casper, disserentes audivi.

Tentamine philosophico medicoque nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores mihi concedantur.

Theses.

I. Quo necessarior partus caesareus eo periculosior.
II. Pulsus arteriarum a corde pendent.
III. In partu caesareo incisio diagonalis est praeferenda.
IV. Morbi chronici magis diaeta, quam medicaminibus curandi sunt.
V. Omnem febrim intermittentem mox cortice supprimere velle, damnanda praxis.
VI. Placenta praevia non est unica ad placentam solvendam indicatio.
VII. Dolores in partu spurii venaesectionibus imprimis mitigantur.
VIII. Forcipis efficacia est praecipue dynamica.
IX. Partus facillimus haud faustissimus.
X. Relictae placentae particulae sunt feminae periculosissimae.
XI. Cancer verus exstirpatione non sanatur.